



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. LXXII. Euangelium S. Ioannis è collo suspensum, contra pestem  
sacrum amuletum est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

*Pax Domini nostri I E S U Christi, virtus sacratissima Passionis eius, signum S. Crucis ✠, integritas B. Virginis MARIAE, benedictio omnium Sanctorum, custodia Angelorum, suffragia omnium electorum D E I, sint inter me & omnes inimicos meos visibiles & inuisibiles, nunc & in hora mortis meae. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti ✠ Amen.*

Cur verò in Ecclesiarum turribus Crux gestās Gallū gallinaceum collocetur, incidat Alb. Magn. Christ. instit. p. 3. c. 3. Scilicet vt peccatores dū eminus Crucem vident & gallum, memores poenitentiae S. Petri & veniae per Crucem obtentae, excitentur ad similem poenitentiam & in spem erigantur cōsequendae gratiae. quamuis & nuda Crux designet locum istum Deo esse dedicatum. nam ab initio nascentis Ecclesiae quotiescumque locus aliquis diuino cultui mancipabatur, signum S<sup>m</sup>a. Crucis ibidem erigebatur, eoq; solo signo censebatur locus sacer, vnde & in Titulum, id est, in Ecclesiam erigi dicebatur. atque hinc manauit priscus ille vsus quòd qui Ecclesiae alicui presbyter adscriberetur, ab eadem Titulum acciperet. quāuis postea Romae obtinuerit vt non omnis Ecclesia Titulus diceretur, sed tantum insigniores: quibus Cardinales praeficerentur.

Vide Ia-  
cob. Gret-  
zer. lib. 2,  
de Cruce.

## C A P. LXXII.

*Euangelium S. Ioannis è collo suspensum contra pestem  
sacrum amuletum est.*

**I**mmediatè jam praescripta Oratio libellis Euangliorū S. Ioannis à Saerdote benedictis adiungi solet, quos fideles è collo suspendere consueuerunt in antidotū contra veneficia, morbos aliaqne corporis incōmoda, & vt ipsa oratio sonat, cōtra mortem subitanē siue pestem.

Neque



Neque damnanda est illa pia deuotio, neque nouitia, & hoc sæculo deprauatæ Ecclesiæ, vt calumniantur heretici, inuenta. De B. Cæcilia canit Ecclesia: Virgo gloriosa semper Euangelium *Christi* gerebat in pectore, scilicet vt per illud conciliaret sibi fortitudinem ad martyrium; atque ad maritum aliosq; fidei hostes ad fidem conuertendos. quod & fecit. & ne quis dicat id spiritualiter seu mysticè intelligendū esse, nempe de continua Euangelij meditatione in corde (quod fortè verius est) ecce produco testem irrefragabilem & classiarium. Gregorium Papam Rom. qui epist. 7. l. 12. ad Theodolindā Longobardorum reginam ita scribit: Excellentissimo autem filio nostro Adalwaldo regi transmittere phylacteria curauimus, id est, Crucem cum ligno S. Crucis Domini, & lectionem S. Euangelij theca Persica inclusam, è collo scilicet gestandam pueri. Erat enim Adalwaldus recens natus Theodolindæ reginæ ex rege Agilulpho, ideò mittit ei loco bullarum quas veteres pueris è collo suspendere consueuerant; sacra hæc phylacteria, crucem scilicet cum textu Euangelij. Quin & de S. Barnaba Apostolo legimus eius corpus repertum fuisse sub Zenone Imp. in Cypro habens ad pectus Euangelium S. Matthæi ipsius Barnabæ manu scriptum, cum quo videtur voluisse sepeliri, vt haberet illud quasi pignus cœlestis resurrectionis Euangelio promissæ. de quo scribit Sigebertus Gemblac. ad an. 489. quod ex doctrina Apostolorum Euangelium istud S. Barnabas secū ferre semper solebat, & vbiq; inueniebat infirmos, ponebat illud super ipsos, & tã fide Barnabæ quã merito Matthæi sanabantur; quibus, quod primo loco ponendum est, adiungo; virtute ipsius Euangelij curabantur. Euangelium enim, vt inquit Apostolus, virtus Dei est in salutem omni credenti. quod non solū de salute animæ, verū etiã de sanitate corporis intelligen-



Tract 7.  
in Ioan.

D. Tho.  
2. 2. q. 96.  
2. 4.

dum est. nam Euangelium est causa instrumentalis salutis & vitæ non tantum futuræ, sed & præsentis, idq; non tantum voce, sed & scripto. Teste siquidem S. Augustino, Euangelij scriptus codex cum ægrotis applicatur, morbos eorum sanat. cum caput inquit tibi dolet, laudamus si Euangelium tibi ad corpus apposueris, & non ad ligaturam (fortè superstitiosam intelligit) cucurreris. Rationem dat D. Thomas. Verbum Dei, ait, non est minoris efficaciam quàm reliquæ sanctorum. Sed reliquijs utimur ad salutem, ergo pari modo, immò maiori ad eadem licet uti verbo Dei scripto siue Euangelio. ita ille argumentatur & rectè. Probauit id sæpissimè Deus, & superiori sæculo contigisse ex fidelissima relatione constat. Laborabat in India Mogoris vrbis præfecti filius, & laborabat grauius. remedium expetijt pater à nostræ religionis sanctitate. Data itaque sunt illi sacra ex Euangelio verba nonnulla in charta papyracea descripta. quæ cum puero è ceruice appendisset, magna cum omnium admiratione statim conualuit. ita perhibent litteræ Societatis IESU ex ea Prouincia anno 1597. transcriptæ. Et certè si S. Xauerius tanti fecerit scripturam & nomen Ignatij, vt eius autographum continuò gestarit in sinu & collo suspensum, vt illo tamquam fortissimo clypeo aduersus omne periculorum genus tutus & præseruatus esset: quãto magis nos Christiani verbum Dei penes nos gestare debemus, quo contra omnia tam animæ quàm corporis incommoda defendamur? Confidebat in illo firmiter sanctus Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus & martyr, qui semper Euangelium C H R I S T I apud se gestabat, quod etiam pro spiritali clypeo sicario caput sibi findenti obiecit. Sed ecce miraculum. licet codex ense acuto per medium sectus esset, nulla tamen littera eâ sectione



fectione abolita fuit, vt etiam hodie videre licet in eodem ipso codice. Sed ad nostrum institutum: Si fidem, inquit Baron. prestemus S. Andree actis, etiã Apostolorum temporibus vsurpatum apparet Christi Euangeliũ gestare ad collum appensum. Sancta enim hæc fuit quoq; maiorum consuetudo nisi aliquã accedente superstitione labefactetur. Et ritè hæc facta esse atque hodie fieri probatur ex inueterato & salutari Ecclesię vsu à SS. PP. probatio. Si enim sacre Scripturę testimonia liceat ore proferre, cur non collo gestare descripta? & narrat Leontius Episcopus S. Simeonem mulieri magę amuletum in tabella conscripsisse, quo gestato illa non potuit amplius diuinare nec mágica amuleta facere. Immò tanti olim faciebant Christiani initiũ Euangelij S. Ioannis vt nimia panè religione illud venerarentur; solitosque multos suspensum gestare ad collum testatur Synodus Antiochena, vt scilicet tamquã Symbolum fidei se Catholicos nõ Arianos profiterentur. Quemadmodum si, quæ vulgò Rosaria vocant D. Virginis, loco torquis ad collum geras, vt ostendas te non hæreticum, sed Catholicum & Virginis cultorem esse; vti hodie multi Galli, Hispani, Angli & Belgæ landabiliter ac religiosè faciunt. Versabatur enim in his primis Euangelij verbis omnis ferè inter Catholicos & Arianos controuersia fidei, quasi arcem hoc loco Catholicis constituentibus eius fidei quam habebant Trinitatis; quo tempore ea consuetudo plurimum inualuit. & fortè hodiè inter alias causas hæc etiam est, vt peracto Sacrosancto mysterio Missæ, hoc Ioannis Euangelium tamquam alterum Symbolum fidei recitetur. Inter alias causas inquam, quia hisce in patrijs, potissimum contra grassantes maleficos seu præstigiosos veneficos, & striges pia hæc consuetudo introducta fuit Patrum nostrorum memoriã.

Scio



Scio quidem & lubens fateor magnum in huiusmodi amuletis, specie tenus sacris, committi abusum. Sed id pietati fidelium & sinceræ deuotioni non refragatur. à maligno spiritu omnis ille fons scaturit, qui se Simiam Dei quotidie exhibet, vt sub hac fraudulenta larua simpliciores decipiat. imitatur sic illum (vt reliquas nequitias nequissimi spiritus præteream) in detestabili illa suorū adoptione mancipiorum, quæ instar Episcopi sacros Ecclesiæ ministros spirituali caractere insignientis & benedicto chrismate inungentis, abominabili pariter nota insignit & maledicto oleo inungit, quo vires accipiunt ad nocturna conuenticula euolandi, dans simul oleo plena & præstantia vascula, quæ plurima inter tortoris manus positæ Remondenses sagæ ante aliquot annos demonstrarunt & attulerunt. Eodem prorsus modo ad auertenda vel saltè impedienda hæc sacra amuleta, diabolica sua adinuenit. Qualia sunt nefariæ illæ formulæ precum quas contra vulnera & pericula ignis, aquæ, &c. quidam per mendaciū sed per solam dæmonis suggestionem & suppositionem B. Leoni & aliis sanctis adscribunt, & multi hodie gestitant; quibus diabolus semper tandem imponit, & quādo sunt in statu pessimo letalis culpæ, finit eos occidi & deserit quos aliquoties antè defenderat. Norunt Franci cū superioribus annis cum Barone Danon hereticorū Germanorū examina in Franciā irrupissent & à Duce Guisio fidei Catholicæ indefesso vindice strenuè debellata fuissent, huiusmodi schedas collo cesorū ferè omniū appensas fuisse repertas ab ijs qui cadauera spoliarunt, vt refert Delrio disquis. magic. l. 1. c. 4. qui tamen non secundum historiæ veritatem scribere videtur Antoninū Caracallā huiusmodi magica amuleta prohiberi constituisse teste Spartiano: quandoquidem teste Baronio, exactissimo in hisce & similibus iudice, potius Caracalla prohibere volue-

Baron. in  
Caracal-  
la.

lue.



luerit Christiana amuleta è ligno Crucis aut Martyrum reliquijs desumpta, cum esset ipse maximè magiæ deditus. Nisi fortè alia quapiam de causa postea magos & magica abominatus fuerit & exilio relegauerit, prout Nero, qui cum esset prius quasi magorum princeps, eisdem postmodum non tantum dirissimè exagitauit, sed & vrbe discedere coëgit. Huiusmodi autem diabolicis amuletis & philacterijs è collo suspensis utebantur olim Græci athletæ, ne ab aduersarijs suis superarentur nice-terijs magicis. Sed notandum eiusmodi superstitiosa periamniata collo dependentia nullam vim naturalem obtinere ratione verborum, characterum vel figuræ vel constellationis, sed tantum ratione materiæ si qua huic antipathiæ vel sympathiæ vis naturalis insit. quod per se clarissimum est, nec latiori indiget deductione. Quando verò in ipsis verbis, modo scripturæ, crucium numero, figura vel alijs similibus spes non ponitur, pium & sanctum est reuerentiæ causâ sacras reliquias, cereas Agni-Dei imagines, Euangelium sancti Ioannis, Psalterium Dauidis, & similia sacræ Scripturæ testimonia secum collo appensa gestare: sed effectus qui inde oritur erit supernaturalis. Sanctus Basilius damnat quidem periamniata, sed magicis characteribus insignita. Auctor in Matth. apud Chrysostrum Homilia 34. damnat duo genera hominum, vnum qui ex huiusmodi ad collum suspensis sanctiores ceteris videri volebant more Pharisæorum, qui dilatabant philacteria & magnificabant fimbrias suas ad ostentationem sanctitatis. alterum, qui ex eadem superbia quæ ad collum alij suspenderent, ipsi de capillis vel vestimentis suis largiebantur. vtrique detestabiles. Sanctus Chrysostrum damnat superstitiosas mulierculas, quæ non à Deo miraculosum auxilium expectabant, sed vel ab ipsa materia seu for-

Basil. Ho-  
mil. in  
Psal. 45.

Chrysostr.  
Hom. 73.  
in Matth.



ma amuletorum, vt hodie illi qui dicunt Euangelium debere esse scriptū in membrana virginea vellitteris miniatis. Sic Canones dicunt anathema ijs qui superstitionis conseruatorijs phylacterijs vtuntur, & clericos ea facientes, iubent de Ecclesia ejici. Can. 1. & 4. 26. q. 5. qui Canones quomodo sint vltteriū interpretandi, & de quo genere phylacteriorum intelligendi, patet ex Canone vltimo eiusdem quæstionis vbi B. Isidorus eos explicat. Vide insuper S. Augustinum de doct. Christiana lib. 2. & tract. 7. in Ioan. Chrysof. ad popul. Antiochen. Hom. 25. damnauit etiam eadem phylacteria Concil. Turonens. cap. 2. Nauarrus autem de ijsdem diabolicis signis ita docet:

Nau. to. 2  
cap. 11.  
num. 35.

Vigesimò tertio peccat qui breuia aliqua (vt vulgò vocant) vel coniurationes vel nomina collo appensa gestat, nisi hæ quatuor conditiones concurrant.

1. Quòd sint nomina cognita & intellecta & sancta, veluti ex Euangelio & S. Scriptura aut aliquo viro sancto desumpta.

2. Quòd in eis nullus alius character aut signum præter Crucem CHRISTI aut aliud sacrum contineatur.

3. Quòd in eis nihil sit falsi aut vani aut ad inuocationem dæmonum pertinens.

4. Quòd nullam constituat spem in modo scribendi vel ligandi, neque in eo quòd in membrana vt vocant virgine aut cū sol oritur, vel cū legitur Euangelium, conscribantur: vel quòd debeant tot sigillis ligari vel à puella virgine, vel quòd à nemine videatur, &c. quæ neque ad laudem Dei neque ad alium effectum naturalem vel institutum deseruiunt.

Vigesimò quarto peccat qui facit aut defert aliquos  
ver-



versus scriptos in die Ascensionis, credens minorem virtutem habituros si ante Euangelium decantatum vel post peracta sacra, vel in alio die in quo talia verba Euangelij in eiusmodi schedulis contenta decantari non solent, fuissent descripti. Rosell. V. Sortileg. §. 2.

Vigesimò quintò peccat qui defert aliquas reliquias superstitionis aliqua & vana obseruatione ductus, veluti si vas quo sunt gestandæ sit trigonum vel rotundum, &c. quæ videlicet & alia huiusmodi ad diuinum cultum non pertinent. Verumtamen religiosum est, inquit, cum decenti veneratione reliquias portare absque aliarum vanitatum interpretatione. Hæc Nauarrus. Sed de gestatione reliquiarum è collo, postea fusiùs.

Dixerat autem idem antea nu. 34. Peccat mortaliter qui certam spem constituit in deferendis aliquot nominibus scriptis, firmiter credens propterea fore vt numquam in bello vulneretur, feriat, vel repentinâ morte rapiatur, aut quod neque aqua, neque igne pereat, vel quòd erga principes omnia sint illi prosperè cessura: quoniam huiusmodi nomina neque virtute naturali, neque ordinatione diuina vel Ecclesiastica vllam viâ habent ad tales effectus producendos, & consequenter vana est eorum obseruatio. quocirca talia nomina vel breuia sunt reprobata, & peccant mortaliter qui ea confingunt vel qui ijs vtuntur, vel qui consulunt vt alij iisdem vtantur. ita Nauar. Memoriae proditum est, immò nostra memoria contigit anno nempe 1600. Baronem Breautæum in celebri illo ac nobis prospero 22. Brabantorum cum totidem Francis apud Silvamducis Brabantia oppidum, certamine, simili diabolico amuleto vsum fuisse, qui & captiuus iam in manus nostrorum, minimè interfici potuit, nisi prædicto amuleto tradito vel proiecto. Religio-



Miræus  
in Orig.  
Tercf.

fior fuit vxor eiusdem Baronis , quæ marito malè defun-  
cto, secundum Pontifaræ in regno Galliæ Monasterium  
disalceatarum Virginum condidit, aut saltem ditissimè  
dotauit; ipsa iisdem monialibus adsociata: meliori sorte  
sanctarum Virginum soror, quàm talis mariti coniux aut  
vidua. Manet igitur verum huiusmodi Euangelicos li-  
bellos piè è collo suspendi in præseruationem contra pe-  
stem; benedicuntur enim non solùm contra veneficia,  
sed contra quælibet aduersa quæ homini possent obue-  
nire: & Euangelium est virtus in salutem tam corporis  
quàm animæ omni credenti, sed non nimium temerè  
præsumentis. Testimonium omni exceptione maius  
nuper Deus exhibuit in Armusia, vulgò Ormus ( vrbs,  
emporium & insula est clarissima ad ostium sinus Persici  
Catholico Regi stipendiaria) per Belgam nostram, Ve-  
nerab. Gasparem Berzæum eiusdem Apostolum, sed  
Goefæ in Zelandia ortum, qui teste Maffeo libro deci-  
mo-quarto Histor. Indic. Euangelio D. Ioannis in sce-  
dula scripto, & pectori appposito, pestem & febres propul-  
fauit.

Ter  
Goef.

C A P.